



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 7. Solvuntur objectiones à ratione petitæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

ARTICULUS VII.

Solvuntur objectiones à ratione petite.

Obj. 1. Gratuita prædestinatorum electio ad gloriam, à gloria positivè excludit non prædestinatos, & ita qui non sunt prædestinati, positivè excluduntur à gloria ante absolutam prævisionem demeritorum personalium & finalis impenitentiae. Ergo gratuita illa prædestinatorum electio ad gloriam rejicienda est. N. ant. *Probabis.* Per hanc gratuitam electionem Deus intendit regnum coeleste, ut totum quoddam constans tot determinatè & in particulari partibus. Ergo ceteros omnes, qui non sunt electi, positivè excludit à regno coelesti: sicut v.g. architectus, qui intendit construere domum ex tot determinatè & in particulari lapidibus & lignis, ceteros omnes lapides, & omnia alla ligna possibilia positivè excludit à constructione domus: item sicut Princeps civitatis intendens convivium ex tot determinatè & in particulari civibus constans, hoc ipso ceteros omnes cives à convivio positivè excludit, R. neg. conseq. Ratio negandi est, quia Deus gratuito eligens ad gloriam certos homines, & ex illis intendens componere regnum coeleste, quod proinde intendit ut totum quoddam ex tot determinatè & in particulari partibus constans, simul & pro eodem rationis signo sincerè, licet conditionatè tantum, vult totum illud ex pluribus partibus constare, & ceteros omnes, quos non eligit, regnum coeleste cum iis, quos eligit, constituere. Ratio est, quia non solum vult absolutè & efficaciter, ut certi homines salutem consequantur, quos proinde dicitur eligere; sed etiam sincerè, quamvis conditionatè tantum, idem pro ceteris omnibus desiderat, & vi huius desiderii determinatus est ad danda illis media ad consequendam salutem idonea, quorum tamen abusus acquiras ob causas permisurus est. Hæ autem duæ voluntates, cum nullum habeant inter se ordinem prioris & posterioris, simul & pro eodem rationis signo sunt in Deo, Deus igitur efficaciter volens tot determinatè & in particulari homines salvari, simul non solum simultate temporis, sed etiam simultate rationis, vult etiam sincerè reliquorum omnium salutem: unde dici non potest per absolutam & efficacem voluntatem salvandi prædestinatos, positivè excludere reliquos à salute ante prævisionem demeritorum personalium & impenitentiae finalis, quantumvis voluntas illa supponatur esse gratuita.

Dices. Deus per gratuitam illam certorum hominum electionem ad gloriam certus est de numero salvandorum. Ergo ceteri sunt positivè exclusi. R. neg. conseq. Itaque verum quidem est, Deum per gratuitam illam certorum hominum electionem ad gloriam certum esse de numero salvandorum: nam per illam certus est de numero eorum, quos prædestinaturus est, vel potius, quos ratione posterius prædestinat, & consequenter de numero eorum, quibus donaturus est finalem perseverantiam. Inde tamen non sequitur, ceteros positivè excludi per gratuitam illam electionem, quia gratuita illa electio non excludit sinceram voluntatem salvandi ceteros, & ad hunc finem dandi illis media, quibuscum salutem assequi possunt, & si vellent, assequerentur. Unde Deus pro eodem illo signo, pro quo per gratuitam prædestinatorum electionem ad gloriam certus est de numero salvandorum, certus est ceteros etiam salvari posse, & salvatum iri, si vellent, nec nisi sua culpa à salute excludendos.

Dices. Deus per gratuitam illam certorum hominum electionem ad gloriam determinatur ad eligenda non electis media incongrua. Ergo nec habet, nec habere potest sinceram voluntatem salvandi non electos, R. neg. ant. Nam gratuita electio ad gloriam non operatur nisi circa electos. Igitur Deus per gratuitam electionem ad gloriam determinatur ad præparanda electis media congrua & cum salute certò & infallibiliter connexa, sed simul & pro eodem signo per sinceram ceteros etiam salvandi voluntatem determi-

natur ad præparanda illis media, quibuscum salvari possunt, & salvarentur, si vellent.

At inquit. Saltem, quod eodem redit, Deus per voluntatem hanc ceteros salvandi conditionatam tantum, quæ gratuitam aliorum electionem ad gloriam comitatur, determinatur ad præparanda ceteris media incongrua potius quàm congrua, vel, si vis, media incongrua quàm talia. R. N. Alioquin hæc voluntas conditionata non esset sincera voluntas salvandi ceteros, sed potius voluntas illos non salvandi. Deus igitur, quod longè aliud est, per hanc conditionatam voluntatem ceteros salvandi, solum determinatur ad præparanda illis media, quibuscum salvari poterunt, & salvabuntur si vellent, & quia nolent, Deo abusus gratiarum suarum iustissimas ob causas permittente, re ipsa non salvabuntur.

At inquit. Si Deus non seligit non electis media incongrua, quare nullus ex innumerabili illorum multitudine salvatur? R. Ratio ex parte Dei est, non quia non sincerè vult illos salvari, aut data opera præparat illis media incongrua, potius quàm congrua; sed quia noluit illos ad gloriam eligere, noluit illis præparare media, quibuscum in salutem certò & infallibiliter dirigerentur; & ita solum præparavit illis auxilia ad salutem purè idonea & sufficientia, quorum abusus iustissimas ob causas permitti posse cognovit, atque permittere decrevit. Ratio verò ex parte reproborum est, quia nullus ex illis in fide, quæ per electionem operatur, usque in finem perseverat; sed alii sua culpa de Evangelio nihil unquam audiunt, alii audientes Evangelium, & sufficienter vocati, nolunt credere, alii credentes nunquam iustificantur, quia media justificationis sibi oblata repudiant, alii iustificati per liberam mandatorum divinatorum transgressionem iustitiam amittunt, & ita omnes in statu peccati moriuntur, adeoque meritò damnantur omnes, alii propter culpam originalem & personales, nempe infideles, qui in infidelitate moriuntur; alii propter peccata personalia, nempe adulti baptizati, qui stolam innocentiae sibi baptismo donatam per Christum Jesum, ut eam perferrent ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, & haberent vitam æternam, conservare neglexerunt.

At inquit. Secundum nos Deus omnibus non electis præparat finem incongruum, & eligit illis terminum vitæ pro eo tempore, quo decessuri sunt in statu iniustitiae: nam ex reprobis innumeri aliquando iustificantur, quorum tamen nullus in statu gratiae moritur. Quod certè fieri posset, nisi Deus data opera expectaret illos, illosque in vita detineret, donec gratiam per mortale peccatum amittant, & ante recuperatam raperet. R. Secundum nos Deus solum non electis aliquando iustificandis non præparat finalem perseverantiam, nec illam proinde illis donat, simul tamen præparat illis in æternitate, & dat in tempore media, quibuscum, si vellent, in statu iustitiae usque in finem perseverarent; Deus enim neminem deserit, nisi ab eo prius deseratur. Quod si præsciens illos esse lapsuros, si diutius vixerint, non illos rapit ante lapsum, sed in vita detinet, non detinet ut labantur & iustitiam amittant, sed propter alias causas, nobis quidem occultas, sed acquiras, sincerè desiderans, & illos sufficienter adjuvans, ut mortalia omnia vitent. Postquam autem in mortale peccatum lapsi sunt, non tenetur illos expectare donec à peccato resurgant, illosque movere, quomodo illis apum est, ut à peccato resurgant ante vitæ terminum, quem illis constituit vel in iustam peccatorum vindictam, vel ob quamcumque aliam causam verè compossibilem cum sincera voluntate salvandi omnes. Secundum nos itaque, querenti quare ex innumeris non electis aliquando iustificatis nullus in statu iustitiae moritur, respondendum est rationem ex parte Dei esse, quia nulli præparavit in æternitate, & ita nulli confert in tempore donum perseverantiae, quæ hoc ipso quod donum est, nemini debetur, & sic quibus denegatur, absque iniustitia denegatur: rationem verò ex parte ipsorum non electorum esse, quia licet omnes auxilia ad standum accipiant,

nullus

nullus tamen stat cum illis auxiliis, non propter illorum insufficientiam, sed propter abusum libertatis, & propriae voluntatis malitiam.

Obj. 2. Si datur gratuita praedestinatorum electio ad gloriam, Deus non potest efficaciter velle privare praedestinatum vitam aeternam: cum illi vitam aeternam velit efficaciter decreto aeterno & invariabili ante absolutam praevisionem quorumlibet meritorum & demeritorum personalium. Falsum conf. Ergo, &c. Neg. min. *Probabis.* Si Deus non potest velle efficaciter privare praedestinatum vitam aeternam, praedestinatus non potest peccare mortaliter. Absurdum conf. Ergo, &c. R. neg. seq. Nam ut praedestinatus peccare possit mortaliter, sufficit quod possit Deum graviter offendere, & offendendo reatum incurrere damnationis aeternae, quam in nulla sententia probabili vult illi Deus efficaciter & absolute, sed conditionate tantum, si nimirum in statu peccati moriatur.

Dices. Praedestinatus in nostra doctrina non potest offendere Deum usque ad dissolutionem amicitiae. Ergo non potest, etiam Deum graviter offendendo, incurrere reatum damnationis aeternae. Ergo non potest peccare mortaliter, seu peccando spirituales inferre mortem animae; cum haec mors in dissolutione divinae amicitiae consistat simul & reatu aeternae damnationis, qui incurritur propter illam dissolutionem. Neg. ant. *Probabis.* Nam praedestinatus non potest offendere Deum usque ad dissolutionem affectus illius, quo Deus illi absolute & efficaciter vult gloriam, quia secundum nos, affectus ille est in Deo antecedenter ad omnem absolutam praevisionem bonorum sive malorum operum, & prorsus immutabilis & invariabilis est. Ergo, &c. R. neg. conseq. Nam affectus ille non est affectus amicitiae: non enim est circa personam ut gratam Deo: sed est affectus purae misericordiae, quia est circa personam ut insectam peccato originali, & omni amore & beneficio divino indignam. Quamvis autem hic affectus misericordiae, quo Deus absolute & efficaciter vult misereri talis hominis, illum ad gloriam perducendo, non possit dissolvi, quia invariabilis est, & existit in Deo antecedenter ad omne opus sive bonum sive malum praedestinati absolute praevium, & ita nec possit dissolvi in perpetuum affectus amicitiae, quo Deus praedestinatum pro eo omni tempore, pro quo iustus est, prosequitur; potest tamen praedestinatus, Deum graviter offendendo, odium Dei ad tempus incurrere: Deus enim praedestinatum graviter peccantem privat gratia sanctificante, & odio habet inimicitiae pro toto eo tempore, quo manet in statu injustitiae, vultque illi damnationem aeternam, ut supplicium illi debitum secundum praesentem injustitiam: sicut è contra reprobum iustum amat amore amicitiae pro toto eo tempore, quo manet in statu iustitiae, vultque illi gloriam aeternam ut premium illi debitum secundum praesentem iustitiam, in qua sit, ut potest, usque in finem permaneret, revera gloriam aeternam ut premium sibi debitum acciperet. Similiter praedestinatus, si in statu injustitiae, quem per mortale peccatum incurrit, usque in finem permaneret, damnationem aeternam ut supplicium sibi debitum revera incurreret; permaneret autem nisi Deus ab aeterno misericorditer decrevisset eum ab illo miseriae statu liberare, eique finalem perseverantiam donare, quia misericorditer elegit illum ad gloriam.

Obj. 3. Si datur gratuita praedestinatorum electio ad gloriam, haec electio, 1. facit hypothesim simpliciter antecedentem, & ad hoc, ut sit vel non sit, planè independentem à voluntate praedestinatorum: voluntas enim praedestinatorum neque directè neque indirectè potest illam impedire ne sit, sicut neque directè neque indirectè facere ut sit: haec enim hypothesi, ut sit, vel non sit, pendet à solo beneplacito divino: cum à solo beneplacito divino pendeat gratuita ad gloriam electio, ut sit, vel non sit, ut per se manifestum est. 2. Facit hypothesim prorsus invariabilem: nam gratuita ad gloriam electio, si datur, variari non potest: quidquid enim divina voluntas vult & eligit,

Simonne Theol. Tom. I.

ab aeterno & pro aeterno invariabiliter vult & eligit. 3. Facit hypothesim prorsus insuperabilem: cum enim gratuita electio ad gloriam sit decretum divinae voluntatis absolute & efficax, vinci non potest: nam absolute & efficax decretum divinae voluntatis effectu suo frustrari, absolute implicat, quia absolute implicat Deum aut carere mediis, quibus infallibiliter consequatur fines, quos absolute & efficaciter intendit, aut falli in delectu mediorum, aut à mediis quae eligit, executione impediri. Atqui hypothesi simpliciter antecedens, invariabilis & insuperabilis, facit necessitatem antecedentem, invariabilem & insuperabilem, ut per se clarum est. Ergo si datur gratuita praedestinatorum electio ad gloriam, necessarium est necessitate antecedente, insuperabili & invariabili, ut praedestinati credant, justificentur, mandata divina impleant, & in fide, quae per dilectionem operatur, usque in finem perseverent, atque salventur. Ergo si datur gratuita praedestinatorum electio ad gloriam, praedestinati necessario credunt, necessario se disponunt ad justificationis gratiam, necessario divina mandata implent, necessario in fide, quae per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, necessario salvantur. R. neg. hanc ultimam conseq. Quia non valet, licet verum sit totum argumentum, ex quo inferitur.

Itaque 1. gratuita electio ad gloriam facit hypothesim simpliciter antecedentem, invariabilem & insuperabilem, ut probatum est. 2. Et ita gratuita electio ad gloriam facit necessitatem antecedentem, invariabilem & insuperabilem. 3. Et sic necessarium est necessitate antecedenti, invariabili & insuperabili, ut praedestinati credant, justificentur, mandata divina impleant, &c. sed contingenter & liberè.... Ratio convincens est, quia gratuita praedestinatorum electio ad gloriam non est ad gloriam qualicumque modo consequendam, sed ad gloriam consequendam liberè & contingenter, sive, quod idem est, ad gloriam consequendam per media de se contingencia, fallibilia, repudiabilia. Unde propter gratuitam electionem ad gloriam, necessarium est necessitate antecedenti, invariabili & insuperabili, non solum ut praedestinati credant, sed etiam ut liberè credant; non solum ut justificentur, sed etiam ut liberè justificentur, seu ut liberè se ad justificationis gratiam comparent; non solum ut mandata divina impleant, sed etiam ut liberè impleant; non solum ut in fide, quae per dilectionem operatur, usque in finem perseverent & salventur, sed etiam ut non sic perseverent & salventur sine libera voluntatis suae cooperatione. Uno verbo, necessarium est necessitate antecedenti, invariabili & insuperabili, ut praedestinati salventur, non qualicumque modo, sed liberè, contingenter, & fallibiliter, hoc est, per media de se contingencia, fallibilia, & repudiabilia, quia scilicet Deus per gratuitam eorum ad gloriam electionem, absolute & efficaciter vult ut sic salventur; & omnino fieri non potest, ut res non eveniant & eo modo eveniant, quas & quomodo absolute, & efficaciter vult evenire: alioqui Deus non esset omnipotens, & ita Deus non esset Deus. Unde apparet salutem praedestinatorum esse liberam, contingentem, fallibilem simul & summè necessariam; liberam quidem, contingentem, & fallibilem ex parte causarum secundarum proximarum, quae liberae sunt, contingentes & defectibiles; summè verò necessariam ex parte causae primae, seu ex parte Dei causas secundas & proximas ordinantis ad finem obtinendum, & eo modo obtinendum, quem & quomodo absolute & efficaciter vult obtinere; illum enim, quia omnisciens est & omnipotens, absolute repugnat in causis secundis & proximis ordinandis falli aut vinci, & sic absolute repugnat non assequi finem, quem intendit, & eo modo assequi, quo assequi intendit, per causas secundas & proximas, quas ad illum assequendum, & tali modo assequendum ordinat.

Dices. Libertas, & contingentia opponuntur necessitati antecedenti. Ergo repugnat salutem esse liberam & contingentem, & simul necessariam necessitate antece-

I 2 denti.

dent. *R. dist. ant.* Libertas & contingentia opponuntur necessitati antecedenti & intrinseca, *C. ant.* Nam necessitas antecedens intrinseca recipitur in potentia libera, & ita immutat modum ejus operandi, eam alligando ad alteram partem contradictionis. Opponuntur necessitati antecedenti & tantum extrinseca, *N. ant.* Hæc enim necessitas, cum in voluntate non recipiatur, nec immutat, nec immutare potest modum ejus operandi, & ex se indifferens est, ut cadat in effectum in se necessarium, aut effectum in se contingentem & liberum: non enim est necessitas qua aliquid necessarium fit, sed solum qua necesse est, ut aliquid fiat, & tali modo fiat, vel, quod idem est, qua necessarium verum est aliquid esse faciendum, & tali modo faciendum: oritur enim ex absoluto & efficaci decreto; vel, si vis, realiter nihil aliud est, quam ipsum decretum divinum absolutum & efficax, quod non solum cadit in substantiam, sed etiam in modum effectus: per illud enim simul vult Deus absolute & efficaciter, ut aliquid fiat, & tali modo fiat. Unde si Deus vult aliquid fieri, & necessarium fieri, necessarium necessitate antecedenti, invariabili & insuperabili verum est illud esse faciendum, & necessarium faciendum: & contra si vult aliquid fieri, & liberè ac contingentem fieri, necessarium necessitate antecedenti, invariabili & insuperabili verum est illud esse faciendum, & liberè ac contingentem faciendum. Hæc igitur necessitas antecedens & extrinseca, quam facit decretum Dei absolutum & efficax, non est necessitas consequentis, seu qua consequens in se necessarium est: consequens enim, quod ex suppositione decreti absoluti & efficacis infertur, in se necessarium est, vel contingens & liberum, prout est à causa proxima ad unum in se determinata, vel expedita ad utrumlibet, & non aliter; sed necessitas consequentis, hoc est, qua, supposito decreto, quo Deus absolute & efficaciter, vult aliquid fieri, & tali modo fieri, necessarium necessitate antecedenti, invariabili & insuperabili verum est dicere; Hoc fiet, & tali modo fiet; & ita verum est dicere; Hoc fiet, & necessarium fiet, si Deus absolute & efficaciter voluit illud fieri, & necessarium fieri; hoc fiet, & contingentem ac liberè fiet, si Deus absolute & efficaciter voluit illud fieri, & contingentem ac liberè fieri. Illa igitur necessitas, quam facit gratuita prædestinatorum electio ad gloriam contingentem & liberè obtinendam, quamvis antecedens, quamvis invariabilis & insuperabilis, non modo non pugnat cum contingentia & libertate salutis prædestinatorum, sed è contra illam infert & protegit, & ita infert, ut ex hypothese gratuita illius electionis, simpliciter repugnet prædestinatos non solum non salvari, sed etiam non contingentem & liberè salvari; & tam repugnat ex dicta hypothese, quam repugnat Deum non esse omniscientem & omnipotentem, & consequenter quam repugnat Deum non esse Deum.

Dices. Prædestinatus vi gratuita electionis ad gloriam vocatus ad fidem, non potest non credere. Ergo vi gratuita electionis ad gloriam, non solum extrinsece, sed etiam intrinsece necessitatur ad credendum, *R. neg. ant.* Itaque prædestinatus vi gratuita electionis ad gloriam vocatus ad fidem, credit quidem, quia vocatur, quomodo ei congruit, ut credat; sed ita credit, ut possit non credere: quia, ut credat, vocatur, quomodo illi congruit, per vocationem ex se repudiabilem, & cum negatione actus fidei componibilem.

At inquit, Repugnat prædestinatum vi gratuita electionis ad gloriam vocari ad credendum per vocationem ex se repudiabilem. *R. neg.* Imò repugnat aliter vocari: cum enim prædestinatus vi gratuita electionis ad gloriam vocatur ad credendum, vocatur ad tali modo, hoc est, liberè credendum. Non potest autem vocari ad credendum liberè, si vocatio non est ex se repudiabilis.

At inquit, Vocatio ex se repudiabilis, non est medium salutis proportionatum gratuita electioni ad gloriam. *R. dist.* Vocatio ex se repudiabilis, non est medium, &c. si non summa certitudine & infallibilitate præsciatur effectum suum habitura esse ex hypothese quod datur, *C.* Si præsciatur, *N.* Itaque vocatio, quantumvis ex se repudiabilis, quam Deus summa certitu-

dine & infallibilitate præscit hominem ad opus salutare permuturum esse, si datur, est medium sufficientissime proportionatum gratuita electioni ad gloriam. Non enim timendum est, ne gratuita ad gloriam electio cum mediis ejusmodi, frustreretur suo effectui; sed è contra per illa finem intentum summa certitudine & infallibilitate semper assequetur.

At inquit. Ut vocatio ad fidem sit medium proportionatum gratuita electioni ad gloriam, non sufficit quod prædestinatus, vi gratuita electionis ad gloriam vocatus ad credendum, summa illa certitudine & infallibilitate credat, quæ à præscientia divina oritur; sed requiritur ut necessarium necessitate antecedenti, invariabili & insuperabili credat per vocationem, qua vocatur. Alioqui fides, & consequenter salus prædestinati non est propter gratuitam ejus electionem ad gloriam necessaria necessitate antecedenti, invariabili & insuperabili. Quod repugnat superius dictis. *R. neg.* instantiam, & ejus probationem. Aliud enim est fidem prædestinati propter gratuitam ejus electionem ad gloriam necessariam esse necessitate antecedenti, & invariabili, & insuperabili, & aliud necessariam esse necessitate antecedenti, invariabili & insuperabili per hanc numero vocationem, qua vocatur quomodo ei congruit, ut credat. Primum verum est, secundum verò falsum. Primum itaque dicimus, non secundum. Fides prædestinati necessaria est necessitate antecedenti, invariabili & insuperabili, propter gratuitam ejus electionem ad gloriam, quia gratuita electio ad gloriam facit hypothese antecedentem, invariabilem & insuperabilem, & ita antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium est, ut prædestinatus aliquando aliqua vocatione vocatus, aliquo suo actu convertatur ad fidem, & credat; vel, quod idem est, omnino fieri non potest, ut non tandem aliquando credat, & liberè credat. Hoc tamen non obstante, quando prædestinatus, vi gratuita electionis vocatus ad fidem, credit, quantum ex parte sua contingentem & liberè credit; quantum verò est ex parte Dei, summa quidem certitudine & infallibilitate, sed ea tantum quæ oritur à præscientia divina, & quæ proinde supponit liberi consensu futuribilitatem sub conditione talis vocationis, tamquam objectum quod non facit, sed purè contemplatur præscientia divina. Unde infallibilitas illa, licet summa, non facit nisi hypothese consequentem & impedibilem, ex qua oriri non potest nisi necessitas consequens, & à voluntate prædestinati impedibilis. Unde quando prædestinatus, vi gratuita electionis ad gloriam vocatus ad credendum, credit, credit absque omni necessitate antecedenti, invariabili & insuperabili, orta ex tali vocatione, qua vocatur quomodo ei aptum est ut credat, sed solum cum necessitate consequenti & impedibili, orta ex actu divine scientiæ, quo Deus summa certitudine & infallibilitate præscit futuribilitatem liberi consensu voluntatis prædestinati in actum fidei sub conditione talis vocationis.

Dices. Sit prædestinatus infidelis morti proximus, ita ut, quod fieri potest, post unius horæ spatium superstes non sit futurus; ceterè propter gratuitam ejus electionem ad gloriam, antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necesse est eum intra hanc horam justificari, ut finaliter perseveret & salvetur. Ergo propter gratuitam ejus electionem ad gloriam, antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium est, ut intra hanc horam credat & conteratur. Ergo non potest repudiare vocationem, qua tunc vi gratuita electionis ad gloriam vocatur, quomodo ei congruit, ut credat & conteratur. *R. neg.* hanc secundam consequentiam. Nam ut propter gratuitam ejus electionem ad gloriam, antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium sit eum credere & conteri intra hanc horam, sufficit quod propter hypothese antecedentem, invariabilem & insuperabilem, quam facit gratuita ejus electio ad gloriam, omnino fieri non possit, ut intra hanc horam non vocetur aliqua vocatione, quomodo ei congruit, ut credat & liberè credat, ut conteratur & liberè conteratur, & ita omnino fieri non possit, ut intra hanc horam non credat & conteratur, quamvis possit non credere & conteri, repu-

repudiando vocationem, qua ad actum fidei & contritionis vocatur.

At inquit. Si prædestinatus in suppositione facta potest repudiare vocationem, potest supponi repudiare: possibile enim potest supponi. Absurdum conf. Nam si prædestinatus in casu proposito supponi potest repudiare vocationem, qua vocatur ad fidem & contritionem, & ita supponi non credere & conteri, in casu proposito non est antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium, propter gratuitam ejus electionem ad gloriam, ut credat & conteratur, nec proinde ut justificetur, in statu gratiæ moriatur, & salvetur. Ergo, &c. R. neg. seq. maj. *Ad prob. R.* possibile non posse supponi, nisi simul supponantur, quæ cum hac suppositione connexa sunt, & ita sine quibus hæc suppositio esse non potest. Itaque ut supponatur prædestinatus infidelis mortis proximus repudiare vocationem, qua tunc vocatur ad fidem & contritionem, debet mutari casus propositus, & suppositio in qua fit instantia. Debet enim etiam supponi, quod tunc non sit vocatus, quomodo Deus scit ei congruere, ut credat & conteratur, & ita quod tunc nondum ad fidem & contritionem vocetur vi gratiæ electionis ad gloriam, proindeque quod nondum sit excessurus è vita, sed in ea diutius retinendus, & alio opportuniori tempore secundum propositum vocandus, quomodo illi aptum erit, ut credat, conteratur, justificetur, finaliter perseveret, & salvetur. At verò, ut fit in instantia, supponendo hominem infidelem prædestinatum morti proximum esse, & post unius dumtaxat horæ ipsatum è vita migraturum, supponi debet quod intra hanc horam ad fidem & contritionem vocetur vi gratiæ electionis ad gloriam, seu ex absoluto & efficaci affectu salutis ejus procurandæ, & ita quod intra hanc horam ad fidem & contritionem vocetur, quomodo Deus scit ei congruere, ut vocationem non repudiet, & ita quod vocationem, qua ad fidem & contritionem vocatur, non sit repudiaturus. Supponendo autem quod non sit repudiaturus vocationem, supponi non potest, quod sit repudiaturus, nisi tamen supponi possit simul repudiaturus & non repudiaturus. Quod est evidenter absurdum, & manifestam involvit contradictionem.

At inquit. Si in suppositione facta prædestinatus infidelis supponi non potest repudiare vocationem, qua ad fidem & contritionem vocatur, qua igitur potentia illam repudiare potest? R. posse potentia ad actum verè reducibili, sed summa certitudine & infallibilitate non reducenda, propter actum divini intellectus, ex cujus directione vocatur ea vocatione, quam, si detur, non esse repudiandam, Deus summa certitudine & infallibilitate præscit per actum illum.

Dices. Antecedens illa, invariabilis & insuperabilis necessitas, licet extrinseca tantum, quam defendimus in prædestinatis ad hoc, ut credant, justificentur, in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverent, & ita salventur, novitatem sapit, proindeque rejicienda est. R. neg. Nam tenuit eam & docuit S. Augustinus, 1. in Enchir. c. 102. ubi dicit, *Omnipotentis voluntatem Dei semper invictam esse.* Quia scilicet omnia quæcumque vult, facit, & ita quantalibet sint voluntates Angelorum vel hominum, bonorum vel malorum, voluntatem Dei, absolutam nimium & efficacem, semper impleri. Et c. 103. ubi illud Apostoli, *Vult omnes homines salvos fieri*, interpretans de voluntate absoluta & efficaci, quæ effectu suo carere non potest, ait Apostolum ita loqui, quia nullus hominum salvus sit, nisi quem Deus vult salvum fieri, & quod Deus ideo sit rogandus ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit. 2. In lib. 1. ad Simpl. q. 2. cum dicit: *Non potest effectus misericordie Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit: quia si vellet etiam ipsorum misereri* (quorum tamen non miseretur, quia non vocat illos, quomodo illis congruit) posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur. 3. In lib. de corr. & grat. c. 14. ubi ita loquitur: *Non est dubitandum, voluntati Dei, qui in celo & in terra omnia quæcumque vult fecit, & qui etiam il-*

Simonet Theol. Tom. I.

la, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit. Hoc autem ostendit triplici exemplo: & 1. quidem, exemplo Israelitarum, qui licet potuerint pro arbitrio se subdere vel non subdere Sauli, non potuerunt tamen Deo volenti regnum dare Sauli, resistere, sive non potuerunt non illum Regem libera sua electione constituere. Nisi forte, inquit, ut ex multis aliqua commemorem, quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere (quod utique in eorum erat positum voluntate,) ut etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quod placeret, inclinandum omnipotentissimam potestatem. 2. Exemplo Abisai, qui se David adjunxit, tamquam Domino, & futuro Israelitarum Regi, & de quo post relata ipsius ad Davidem verba, sic ait: *Numquid ille posset adversari voluntati Dei, & non potius ejus facere voluntatem, qui in ejus corde operatus est per Spiritum suum, quo inductus est, ut hoc vellet, diceret & faceret?* 3. Exemplo aliorum bellatorum, qui unà cum Abisai Davidem sua voluntate & ex animo constituerunt Regem, Deo in cordibus eorum operante. Tum denique sic concludit: *Si ergo cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas: qui alius facit, ut, &c.*

Dices. Non satis apparet, quod S. Doctor his locis, & aliis similibus, teneat & doceat extrinsecam illam necessitatem antecedentem, invariabilem & insuperabilem, quam dicimus ex absoluto & efficaci decreto divino oriri, & resultare in ea, quæ à contingenti & libera voluntatis nostræ cooperatione dependent. R. neg. Nam docet absolutam & efficacem Dei voluntatem vinci non posse. Ergo si Deus absolute & efficaciter vult, ut aliquid velimus & liberè velimus, necesse est nos illud velle & liberè velle: alioquin vinci potest absoluta & efficax Dei voluntas. Item docet voluntates humanas non posse resistere absolute & efficaci voluntati Dei, quominus faciat ipse quod vult facere, sive per se solum, sive etiam per voluntatem humanam non solum volentem, sed etiam liberè volentem. Unde Deo volente Sauli vel Davidi regnum dare per liberam hominum electionem, homines aliud non potuerunt, quam Sauli vel Davidi per electionem liberam regnum dare. Ergo si Deus absolute & efficaciter vult, ut voluntates humanæ aliquid exequantur, & contingenter ac liberè exequantur, necesse est voluntates humanas illud exequi, & contingenter ac liberè exequi: alioqui voluntates humanæ possunt resistere absolute & efficaci voluntati Dei, ipsæque impedire quominus faciat, quod absolute & efficaciter vult facere per contingentem & liberam earum cooperationem. Præterea, hæc necessitas est antecedens, invariabilis & insuperabilis, secundum Sanctum Doctorem. 1. Est antecedens: locis enim laudatis loquitur S. Doctor de iis, quæ Deus absolute & efficaciter vult secundum merum voluntatis suæ placitum. 2. Est invariabilis: cum Deum ab æterno & pro æterno invariabiliter velle, quidquid vult, non ignorat S. Doctor. 3. Est insuperabilis: alioqui Deus non magis haberet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi habeant: item Deus non haberet omnipotentissimam potestatem humanorum cordium, quod placeret, inclinandum: item effectus misericordie Dei esset in potestate hominis, ut frustra ille misereretur, si homo noller. Quæ omnia adversantur S. Doctori. Ratio autem à priori juxta eundem est, 1. quod Deo, utpotè infinitè sapienti, non possit deesse modus, quo moveat efficaciter voluntas humanas non solum ad volendum, sed etiam ad contingenter & liberè volendum id, quod absolute & efficaciter vult illas non solum velle, sed etiam contingenter & liberè velle. 2. Quod Deo, utpotè omnipotenti, modum illum adhibere volenti, impedimentum non possit afferri. Patet ex lib. 1. ad Simpl. qu. 2. verbis laudatis, & lib. de corr.

I 3

& grat.

& grat. cap. citato. Cum igitur S. Augustinus dicit, necesse esse ut homo salvetur, si Deus absolute & efficaciter velit illum salvari, loquitur quidem de necessitate extrinseca, & quæ proinde libertati hominis nullatenus potest officere, sed simul antecedente, invariabili & insuperabili, utpotè orta ex suppositione simpliciter antecedente, invariabili & insuperabili, hoc est, ex suppositione decreti absoluti & efficaci, quo Deus hominem salvari, ex mero voluntatis suæ beneplacito vult invariabiliter & insuperabiliter; quia sic vult ab æterno & pro æterno, & magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi habeant; cum habeat omnipotentissimam potestatem humanorum cordium, quod placet, inclinandum. Unde non aliud possunt homines facere, quam quod Deus vult eos facere, & eo modo facere, quo Deus vult eos facere; & ita non possunt non facere, & contingenter ac liberè facere, quod Deus absolute & efficaciter non modò vult eos facere, sed etiam contingenter ac liberè facere. Igitur secundum S. Augustini doctrinam, Deo gratuito prædestinatos eligente ad gloriam, ut consequendam per media de se contingencia, fallibilia & repudiabilia, antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium est, ut gloriam consequantur per media de se contingencia, fallibilia & repudiabilia: Deo absolute & efficaciter ex mero voluntatis suæ placito volente, ut prædestinati gloriam consequantur, liberè credendo, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem liberè perseverando, antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium est, prædestinatos gloriam consequi, liberè credendo, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem liberè perseverando; Deo absolute & efficaciter ex gratuito salutis prædestinatorum affectu volente, ut contingenter & liberè credant, justificationis gratiam obtineant, mandata divina impleant, in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverent, atque ita contingenter & liberè cooperantes Deo eos vocanti & adjuvanti salventur, antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium est, ut contingenter & liberè credant, justificationis gratiam obtineant, &c.

Eandem porro extrinsecam necessitatem post S. Augustinum agnoscit S. Thomas hic q. 19, a. 8. ad 1. ubi hæc S. Augustini verba, *Necesse est fieri, si voluerit, à nobis laudata, interpretans, sic ait: Per illud verbum Augustini intelligenda est necessitas in rebus volitis à Deo, non absoluta, sed conditionalis: necesse est enim hanc conditionalem veram esse, si hoc vult, necesse est hoc esse.* Itaque juxta Doctorem Angelicum Augustini verba interpretantem, 1. res à Deo absolute & efficaciter volitæ sunt necessariae. 2. At non sunt necessariae absoluta necessitate, quæ omnem contingentiam, proindeque & omnem libertatem excludit. 3. Sed sunt propter divinum decretum necessariae necessitate hypothetica tantum. 4. Et ita propter decretum divinum non sunt necessariae necessitate consequentis, sed consequentiae tantum, quatenus hoc tantum sensu necessariae sunt, quod non possit non esse verum eas fore, ex hypothesi quod Deus absolute & efficaciter decreverit eas aliquando esse, & ita non possit non esse verum eas necessariò fore, ex hypothesi quod Deus decreverit eas non solum esse, sed etiam necessariò esse, & è contrà non possit non esse verum eas fore contingenter & liberè, ex hypothesi quod Deus decreverit eas non solum esse, sed etiam esse contingenter & liberè. Hujus autem necessitatis consequentiae rationem repetit Doctor Angelicus à summa divinae voluntatis efficacia, quæ non solum substantiam, sed etiam modum effectuum insuperabiliter attingit, ac proinde rebus, quas vult necessariò fieri, causas necessarias, à quibus non modò fiant, sed etiam necessariò fiant; rebus verò quas vult contingenter & liberè fieri, causas contingentes & defectibiles, à quibus non modò fiant, sed etiam contingenter & liberè fiant, apravit & quidem cum summa efficacia, hoc est, infallibiliter propter infinitam Dei sapientiam, & inimpedibiliter propter ejus omnipotentiam; ex his

enim duobus attributis oritur summa divinae voluntatis efficacia. Cum voluntas divina sit efficacissima, inquit S. Doctor in O. non solum sequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vult autem quedam fieri Deus necessariò, quedam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus apravit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt. Quibusdam autem apravit causas contingentes & defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant. Jam verò cum hæc necessitas consequentiae, quam docet S. Thomas post S. Augustinum resultare ex suppositione decreti divini absoluti & efficaci, necessariò commensuretur suppositioni, ex qua resultat, ut per se clarum est; & decretum divinum absolutum & efficax, quod scilicet nullam habet rationem ex parte creaturæ: de tali enim hic agitur; faciat suppositionem simpliciter antecedentem, invariabilem & insuperabilem, utpotè planè independentem à creatura, invariabile & insuperabile; manifestè sequitur, secundum Doctorem Angelicum, non solum in effectus necessarios, sed etiam in contingentes & liberos ex suppositione divini decreti absoluti & efficaci, resultare necessitatem consequentiae antecedentem, hoc est, à creatura libera planè independentem, invariabilem & insuperabilem; proindeque secundum Angelicum Doctorem, ex hypothesi quod Deus gratuito prædestinatos elegerit ad gloriam, ut per fidem & alia opera salutaria contingenter & liberè consequendam, antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium esse, non solum ut prædestinati gloriam consequantur, sed etiam ut per fidem & alia pietatis opera consequantur contingenter & liberè, & ita antecedenter, invariabiliter atque insuperabiliter necessarium esse, ut prædestinati credant, mandata divina impleant, in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverent, & hæc omnia per media de se contingencia, fallibilia & repudiabilia fiant.

Ex his autem, quæ de summa illa necessitate extrinseca dicta sunt, apparet perperam ad media salutis irresistibilia, seu voluntatis prædeterminativa, & ad alteram contradictionis partem alligativa recurri, ut salvetur certitudo & infallibilitas salutis prædestinatorum: cum illius etiam ut peragendæ per media de se fallibilia & repudiabilia haberi possit certitudo & infallibilitas summa. Ad quod tria omnino sufficiunt. 1. Ut Deo, propter infinitam ejus sapientiam, deesse non possint media etiam de se fallibilia & repudiabilia, quibus prædestinatos in salutem efficaciter dirigat. 2. Ut propter suam omnipotentiam à medio illorum executione impediti non possit. 3. Ut absolute & efficaciter velit prædestinatos in salutem dirigere. Ex his enim tribus, salutis prædestinatorum, etiam ut peragendæ per media de se fallibilia & repudiabilia, oritur extrinseca necessitas, quæ summam certitudinem & infallibilitatem facit. Quod enim antecedenter, invariabiliter & insuperabiliter necessarium est, summè certum est & infallibile. Nec alia fuit S. Augustini, & post eum S. Thomæ circa prædestinationis certitudinem sententia & doctrina, ut de utroque satis ostensum est. Addo, quod per se clarum est, hoc pacto & libertati humanæ longè melius consuli, atque sapientiam & omnipotentiam divinam longè magis commendari.

DISPUTATIO VIII.

De supernaturali Providentia circa reprobos.

NOta. Reprobis dicuntur ii omnes & soli, qui in statu peccati mortalis moriuntur, sive ante, sive post adultæm ætatem, & idcirco damnantur. Dicuntur autem reprobis seu reprobat, quia rejiciuntur à Deo. Quod fit dupliciter, ut modò probabitur. 1. Negativè, quatenus à Deo non eliguntur ad gloriam, & consequenter non præparantur illis beneficia, quibus cum cer-

tissimè